AVLAE
ROMANAE EXEMPLAR
ORATIO
DE
SANCTO IVONE
HABITA

AD EMINENTISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

A IOSEPHO DOMINICO
BELHOMO ROMANO
SEM. ROM. CLERI.

34-6-E-7

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Typis Hæredum Franciſci Corbelletti:
M. DC. LXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

ODOARDO VECHIARELLIO

S. R. E.

CARD. AMPLISS.

IOSEPH DOMINICVS BELHOMVS

FOELICITATEM.

CVM te Patrono, EMINENTISSIME Princeps, fuerim Sacræ Confirmationis teſſera ornatus, omnia quæ ago, etſi minima, ſacrare tibi debeo, vt Patrocinio tuo firmata, vel non

Digitized by Google

timeant apparere publica in Luce, vel non erubeſcant. Id me impulit, vt hanc rudem orationem quam de S. IVONIS laudibus habui, Eminentiæ tuæ offerre auderem: Deſcripſi AVLAE EXEMPLAR ROMANAE, adeoque ſpeculum tibi ſiſto, in quo tuas licet inſpicere virtutes, quarum cauſa, purpuram, primarium Aulæ ornamentum, conſecutus fuiſti, omnibus probantibus; nunc enim maximè patuit, Exempla virtutum in Aula ſuis non carere honoribus. Valeas diu bono publico.

ORA-

ORATIO.

NOVA hæc, atque illuſtris ædificatio, Em. P.P. nouum poſtulat; atque illuſtre orationis genus; maieſtas nempè loci parem deſiderat in dicendo maieſtatem. Verum ego nullam adhibere poſſum, aut ingenij, aut eloquentię ſpeciem tam luculentæ parietum formæ concolorem, adeoque niſi fallor, opportunè indè loquendi materiam præcerpam, vndè tantum ſplendidæ formæ exoritur. Oſtendam videlicet Iuonem eſſe Aulæ Romanæ Exemplar, ideòque illi fuiſſe meritò Templum in Romanæ Sapientiæ arce dedicatum.

Siquidem Aula Romana eminet, emicatque non modò dignitate, ſed etiam virtute; cum excellentia rei, gemino conſtare debeat apice, Dignitatis nimirum, & Virtutis; quarum vtraque erigit ſolium, ſed dignitas ſuprà corpora, Virtus ſupra animos, at in hos dominari propria eſt, ac ſingularis Aulæ Romanæ prærogatiua. Ex hoc liquet, iure optimo Iuonem nuncupari poſſe huius aulæ exemplar; namque eas velut in ſpeculo repræſentauit virtutes, quæ eiuſdem Aulæ candidatis maximè imitandæ, atque exprimendæ ſunt, tanquàm Imagines verè Romanæ.

Et quamquam innumerę ſint huiuſmodi Dotes, ex-

que eximiæ, quatuor tamen primariæ videntur, ſcilicet, Amor Sapientię, Paupertatis patrocinium, Studium Religionis, & Animi cum Deo coniunctio: quibus non aliter Aula conſtat, quàm Natura elementis, quippè & ipſa Aula eſt altera quædam Natura animorum, formatrix, & Aulæ elementa ſunt virtutes.

Itaque primum eius elementum eſt amor Sapientiæ veluti Terra, in qua reliquæ Virtutes, ceù in baſi ſubſiſtunt; Niſi amas ſapientiam, virtutem oportet vel abhorreas, vel exuas; quemadmodum enim fabula finxit Mnemoſynem Muſarum, ità Veritas ex vero ſtatuit ſapientiam eſſe virtutum Matrem: Origo, & vena probæ actionis eſt veluti riuus ductus ex fonte probæ intelligentiæ: nam plerumque qui optimè ſapit, optimè agit: Pari menſura deficiunt, ac proficiunt ſapientia, & virtus. Idcircò Iuo, vix ab infantiæ cunabulis progreſſus ad pueritiæ crepundia, ſeſe contulit ad ſapientiæ caſtra, in quibus more egregij Bellatoris omnia ſtipendiorum genera merere non erubuit; Grammaticæ primum, & Humanitatis, deindè Philoſophiæ, ac Iuriſprudentiæ, ac demum Theologiæ vexilla ſecutus, tantum gloriæ Spiritum hauſit, vt innumeras palmas, inſignes triumphos, perennes laureas retulerit. De omnibus triumphat, qui præ omnibus ſapientiam amat.

Alterum Aulæ elementum meritò dixeris Paupertatis Patrocinium, cui non ex vano Aquæ elementum accomodaueris: Terram aqua ſequitur; qui ſapientiæ ſtudet, fauet paupertati; nam hæc digna ſapiente ambitio eſt, adhærere pauperibus, non honoribus, quippè honores cenſeri poſſunt ornamenta hominis, ſed pau-

peres

peres ſunt ornamenta Dei. Hac de cauſa Tu, ò ſapientiſſime Iuo, neglecta prophanæ ambitionis ſcena, ſpretis dignitatis inſignibus, deſerto amplitudinis culmine, maluiſti fortunam tuam abijcere inter Pauperum quiſquilias, quàm attollere inter phaleras dominantium; Hinc orta fuit ingens illa, ac inuicta conſtantia in orphanorum calamitate ſuſtentanda, in fouenda Pupillorum imbecillitate, in orbitate Viduarum ſubleuanda, in ærumna omnium egenorum conſolanda; Hinc exarſit vis illa vehementiſſima tuæ caritatis in repellendis iniurijs, contumelijs, calumnijs, damnis, fraudibus, telis, tormentis, quibus Paupertas vulnerabatur. Sileant mendacia Poetarum. Iuo verus Hercules fuit. Hercules eſt, qui monſtra domat, & tollit; monſtra mundi ſunt iniuriæ, quæ Pauperibus inferuntur; Has Iuo, & compeſcuit, & ſuſtulit.

Tale fuit Paupertatis patrocinium, quod Iuo exercuit; quale fuiſſe dicemus ſtudium religionis, tertium Aulæ elementum, Aeri ſimillimum? Corpus non aliter viuit, quam aerem reſpirando, nec animus aliter viuit, quam religioni ſeruiendo. Sic oportet, vt Aulæ reſpiratio ſit religionis ſtudium. Id Iuo callebat, ideoque vitam non niſi religioſis operibus æſtimabat; quoties reſpirabat, toties pietati litabat. Hoc animo tantùm voluebat, hoc moliebatur, hoc curabat, vt non modò haberet pietatem prò quæſtu, ſed quæſtum in pietate; non ille ſuæ, ſed Dei gloriæ conſulebat; inhiabat Eccleſiæ dignitati, non priuatæ vtilitati; aras indagabat, non opes; nec fora frequentabat, ſed Templa. Vſque adeò quodlibet religioſum opus, illi prò magnifico, & opulento

lento fuit; nec immeritò; quidquid enim religioſum, Diuinum eſt.

Supereſt vltimum Aulæ elementum; animi nempè cum Deo coniunctio, ad quam progredimur è ſtudio religionis, quemadmodum ex aere imus ad ignem. Etenim veteres fabri hoc elementum fecere; vt non nulli, et ſi falsò opinati fuerint igne conſtare, & animum, & Deum. Nam ignis fertur in ſublime, animus in Deum, Nil autem ſublimius Deo; cui dum coniungitur animus, ſummum attingit culmen, in quo & noſtra fœlicitas ſiſtit. Aula nempè Romana nô habet pro meta humanæ felicitatis orbitam, non apicem Capitolij; ſed veri Numinis maieſtatem? Atque id etiam Iuoni prò meta fuit, ad quam igneo, & perenni impetu tàm flagrantèr anhelabat vt more Phœnicis diuina flamma conſumeretur ſemper ac ſemper reuiuiſceret: Teſtor arcanam illam ſeptem dierum ſpatio continuatam animi à corpore abalienationem: Ibi Sacramentum dixit, ibi fœdus æternum cum Diuinitate ſanciuit: nam reuera, non aliud fuit tota Iuonis vita, quàm perpetua cum Deo cōiunctio. Vtinam poſſem vobis ob oculos ponere tàm amabile ſimul, & admirabile ſpectaculum, Iuonis Deo familiariter fruentis; agnoſceretis ex vero Aula Romana exemplar ſuum; ſed quando id non licet, ex merito illi in hac Romanæ Sapientiæ arce Templum dedicaſtis, vt ex ipſo ſapientiæ ſinu palam eluceat, quantum honoris mereatur qui per ſapientiam diuino ſeruit honori.

D I X I.

Digitized by Google